Solemni funeris deductioni,
Honoratissimæ ac omnium virtutum ornamentis præstantissimæ fœminæ,

DOROTHEÆ Pheimbs/

Spectatissimi ac literatissimi viri,

DN. JOHANNIS JACOBI TREDERI,

Civis apud Stet. primarij, conjugis desideratissimæ; natæ Stet. annô Christi 1602. 14. Maji; denatæ ibidem 30. Aprilis h. 7. vesp. Anno 1637. ætatis suæ 35. extra 14. dies, completô; sepeliendæ hodie, nim. 4. Maji, in æde divo Jacobo sacrâ;

Ut

Omnes & singuli Studiosi Juvenes in Ducali Pædagogio freqventes & condolentes intersint, seriò hortatur.

M. Martinus Leuschner ibid. Rector.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.

Joh. 11. c. v. 25.

Ego ſum reſurrectio & vita: qvi credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: Et omnis, qvi vivit & credit in me, non morietur in æternum.

Miramur concitatas cœli conversiones, inqve perfectißimô istô ac pulcerrimô mundi clypeô miris variata fulgoribus cælamina dum suspicimus, dum stellarum altitudines, prægrandesq; illarum, sub pusillâ apparitionis formâ, magnitudines, dum molium maximarum mirabiles ac velocißimos gyros, perq; patentißimũ illud cœlestis palatij ambulacrum, in pernicißimâ gyratione, ordinatißimas itiones ac reditiones, multiplicesq; ortuum & occasuum varietates ad mensuræ & numeri calculos revocamus, in stuporem pene vertimur. Atenim cur non potius miramur mirabilem hominis ortum? cur non ex homine hominem dum nasci, dum animal divinitatis qvodammodo particeps; in cujus sublimi mentis sphærâ longè celeriores agitationes, gyri, flexus ac reflexus contingũt; vivum ex mulieris uterô hanc in lucem edi, unumq; hominem, mirabili separatione, in duos qvasi diffindi ac dissolvi cernimus, planè obstupescimus? Est profectò ortus hominis inter cætera mirabilia DEI opera maximè mirandus, actusq; ille, qvo mulier vivum ac mentis compotem hominem in lucem producit, cum qvovis naturæ miraculô, de primis certare potest. Ex qvô fit, ut totiens divinus Spiritus, cui verißimè,

qvæ ſacer codex nobiscum communicat, ſacra adſcribuntur eloqvia, ortum hominis è muliere inter τὰ θαυμάσια, ſeu mirabilia Dei opera, recenſeat, ex eoq; cum rebus graviſſimis ac maximè arduis comparationes freqventer deducat. Verùm enimverò qvam mirabilis ac ſtupendus hic eſt ortus, tam etiam, poſt contractā primævæ culpæ labem, difficilis eſt ac periculoſus, adeò qvidem, ut ſine maximo labore, angore & vitæ periculo in actum deduci non poſſit. Qvod, ut cætera omnia, egregiè docet Servator noſter, qvando non multò ante illam ab æternô decretam mundi expiationem in cruce & per mortem factam, puſillum illud triduanũ, luctu, angore & cruciatibus refertiſſimum, cum parturientiũ doloribus comparat: Mulier, inqviens, qvum parit, dolorem habet, qvoniam advenit hora ejus: poſtqvam autem peperit puerulum, jam non meminit afflictionis propter gaudium, qvod homo ſit natus in mundum. Qvô ſanè effatô angores illos & cruciatus maximos, qvi per paſſionis triduum, ante lætiſſimam ex morte reſurrectionem, cum ſibi Servatori, tum Diſcipulis perferendi erant, cum parturientium doloribus comparat, qvòd nihil ijs in hominum vitâ, difficilius, acerbius ac vehementius eſſe poſſit. Fit proinde, ut, licet ſingulari qvodam divinæ providentiæ & clementiæ nutu pleræq; mulieres, ex hac partûs luctâ, qvæ ipſas verè in vitæ ac mortis collimitiô conſtituit, tandem eluctentur, ac doloris ſuæ ultima novô gaudiorum af-

fluxu

fluxu terminari sentiant: multæ tamen etiam vel in ipsâ dolorum vehementiâ, vel paulò pòst, exhaustis & consumtis viribus, paulatim deficiant ac exstingvātur. Exemplum nobis, ne longius evagemur, de se largitur honestissima omnibusq́; virtutū ornamentis cultissima fœmina Dorothea Gheimbs / *viri spectatissimi, multiplicią; doctrinâ, prudentiâ & aliarum virtutū decoribus maximè conspicui,* Dn. Johannis Jacobi Trederi, *civis Stetin. primarij, uxor qvondam dilectissima, nunc desideratissima, qvæ & ipsa, cùm non ita pridem cum difficilioribus partus laboribus colluctata esset, prædictū qvidem maritum suum, editô in lucem filiolô, patrem effecit; sed paulò tamen pòst, animâ ad cœlum dimissâ, corpus doloribus fatigatum ac fractum, pijssimâ morte depositum perpetuæ qvieti tradidit. Nos pijssimæ matronæ vitam, qvam varijs virtutum ornamentis decoratam hisce in terris exegit, brevi narratione percurremus.*

Natam illam accepimus Stetini, annô Christianæ Epochæ, post millesimum sexcentesimum, secundô, 14. Maji, parentibus optimis omniumq́; Christianarū virtutum laude cumulatissimis; patre qvidem honoratissimô ac integerrimô virô, Dn. Benedicto Gheimb / *cive ac negotiatore apud Stetin. præcipuô; matre autem honestissimâ ac lectissimâ fœminâ* Catharinâ Vollertianâ, *qvæ divini numinis benignitate etiamnum superstes, insperatum hunc casum acerbissimô luctu deplorat.*

 Poti-

Potitâ ex optimis pijssimisq; hisce parentibus vitali aurâ, statim, postqvam inter terricolas numerari cœpisset, salutari Baptismatis aspergine, â carnalis nativitatis sordibus purgata, & mystico Christi corpori inserta; atq; deinceps per omnem ætatem, licet patrem qvinto trimestri præmaturâ morte amisisset, à superstite tamen matre, & amplissimo & prudentissimo Dn. vitricô, Dn. Paulo Giesenio, *Reip. Stet. qvondam Consule meritissimô, pijssimè educata, omnibusq; virtutibus, qvæ hunc sexum maximè decent, ita exculta est, ut multis alijs hac in parte palmam præriperet.*

Anno ætatis suæ 15. cùm virtutum, ut dictum est, festivâq; morum elegantiâ, ac inprimis verâ pietate & singulari in curandis rebus domesticis industriâ præemineret, de consiliô matris & amplissimi Dn. vitrici; à qvô, non secus ac ex ipsô nata esset, tenerrimè semper amata fuit; viro honestissimo ac integerrimo, Dn. Michaeli Brauero, *non sine singulari divinæ providẽtiæ nutu desponsata, atq; postea, 15. Septẽbris, anno 1617. intercedente solenni nuptiarum sacrô, in toro Nuptiali apposita fuit. Qvod qvidem pijssimè initum matrimonium, cum hoc exoptatissimo suô marito, in summa tranqvillitate & animorum consensione, per 17. annos coluit, eumq; divinæ benedictionis largitate, sex liberorum; trium filiorum; triumq; filiarũ, patrẽ effecit; ex qvibus tamen præter unicũ filium, & duas filias, nemo ampliùs, fatorum diritate, superest.*

Amisso suavissimo hoc suo marito, anno 1634. 11. Junij, de matris superstitis consilio, viro spectatissimo ac literatissimo, Dn. Johanni Jacobo Tredero, *civi Stetinensi primario, anno seqventi 1635. 14. Sept. denuo, cùm solitaria viduitas curarum domesticarum molem ampliùs non sufferret, matrimonij fidem addixit, eiq; deinde pijssimo solennitatis Nuptialis ritu conjuncta fuit. Verùm utut pijssimè initum ac suavissimo conjugalis amoris affectu matrimonium hoc cultum fuit hactenus: insperata tamen fatorum invidia diuturnũ esse haut potuit. Cùm enim anno hoc currente 1637. 12. Aprilis difficiliori puerperio, unico vix filiolo, ceu primis exoptati ac foecundi matrimonij delicijs, dilectissimum suum maritum, viduum nunc moestissimum, secundo numine, exhilarasset, paulò pòst, relicto hoc sincerioris amoris atq; affectus Conjugalis pignore in ipsius brachijs, pijssimo fatò defuncta ad beatarũ mentium concilium profecta est.*

Vitam ejus ceteram & Christianam conversationem qvod attinet, notum est bonis omnibus, qvanta pietate Deum, ad divini verbi regulas, semper coluerit, qvantoq; Christianæ charitatis affectu proximum suum fuerit complexa, &, ubicunq; licuerit, Consilio, opera & re, sine omni murmure, libentissimè adjuverit & sublevaverit. Qvare etiam non dubitamus; cùm non ita pridem, 30. nim. Aprilis hora 7. vespertina, anno ætatis suæ 35. frustra adhibitis pretiosissimis

medi-

medicamentis, pÿsſimâ morte vitam tam ſanctam & innocenter exactam clauſerit; qvin jam inter beatos cœlites omnium ærumnarum & adverſitatū victrix lætisſima triumphet, ac pro momentaneis afflictionibus æternum gloriæ pondus recipiat.

Nos exanimi ejus corpusculo, cujus exeqvijs hodiernus dies dictus eſt, lætisſimam olim, cum omnibus ſanctis atq; Electis, ad vitam æternam reſurrectionem; lugenti autem marito ac toti familiæ, præmaturam hanc ac inſperatam mortem dolentiùs ferenti, efficacem divini Spiritus conſolationem, & clementisſimam ſimilium caſuum lugubrium à Deo ter optimô maximô averſionem animitus precamur.

Qvod ſupereſt, omnes & ſingulos ſtudioſos juvenes, ſua nobis qvi dederunt nomina, ſtudioſè exhortamur, ut horâ 2. pom. in Audit. majori congresſi, Præceptores, condolentis affectus cauſâ in funus prodituros, decenti freqventiâ comitentur. Prop. publ. anno & die, ut ſuprà.

